Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1891

Quelle:
Copyright:

Bis ab aduentu domini usque ad festum Penthecostes. De *Joh. Mihtio* famoso *Pragae* post medium Sec. XIV. Ecclesiaste varii tradunt Literatores *Bohemi*, quos citatos habes in edit. *ungariana Bohemiae doctae Balbini* P. II. p. 181. Ante Sermones nostros praefatur in illud: *Emitte domine Sapientiam tuam de sede magnitudinis tuae* &c. *Sap.* c. 9. v. 10. et de illis ait: *Scito me esse rogatum a studentibus Collegij studij Pragens. publice propter deum, ut — sermones, quos tunc predicaui, in scriptis redigerem* &c. dat item rationes, cur iis *Abortivi* nomen imposueris adludendo ad *Job.* c. 3. v. 16. et I. *Cor.* c. 15. v. 8. Ad Clerum sive *de Synodo* inscribuntur solum *Sermones* II. *fol.* 82. et 89. quibus acriter in Concubinatum, Simoniam, luxum vestium et gulam insurgit. Ita vitia in quovis hominum genere viguere semper & semper ab ejusdem generis hominibus impugnata sunt. Addam, quod ad calcem supereſt: *Finitus est autem presens liber Anno natiuitatis domini 1416. In die sancti Mathie apostoli hora quasi prima* (juxta Horologium Boh.) *Et comparatus est per venerabilem dominum Johannem Abbatem In Maünsee.* Abbas is fuit numero LI. cognomine *Trenbeckius* eodem electus anno, de quo adi *Chronicon Lunaelac.* editum *Sumpt. J. Gastl Bibliop. Pedepont.* 1748. p. 197. 4.

DCCXC.

Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 49. 4. continet *Gregorii Rosephii* e S. J. Ecclesiastae cathedr. *Augustani Sermones* sacros II. quorum prior a. 1582. parentat incomparabili *Danieli Brendelio ab Homburg* Electori Mogunt. alter vero dictus ad S. *Udalrici* Translationem S. *Simperti* Ep. *Augustani* celebrat, quam tertiam esse video ex *Hierarchia August. Corbiniani Khamm* P. I. p. 104. factam a. 1579. sub Abbate *Jac. Köpplino.* E priore *Sermone* trium Imperatorum honorifica *Danieli* Sensa huc transferre lubet: *Ein Kaiser pflegte ihn zu nennen: er sey der verständigste Mann im ganzen römischen Reiche. Ein andrer Kaiser nannte ihn das Register des heiligen römischen Reiches, in dem man alles finden könne. Ein dritter nennt ihn seinen herzlieben Vater. Ferdinandum I. Maximilianum* II. et *Rudolphum* II. intellige. Dicat *Sermonum* utrumque *ab ore*, ut ait, *concionantis* exceptum *Carolo* Archid. *Fernandi* I. filio *Bartholomaeus Wagnerus ciuis Augustanus*, an ille, quem *Saxonia* ob non receptum Corpus Doctrinae *Melanchthonis* circa 1561. excedere jussum *Joecherus* tradit in *Lexico?* R. 601

DCCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Pagg. 392. 8. non una manu partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus et minio distin- R. 2057